EXPOSITIO PRIMI PSALMI GRADUALIUM, IUXTA PROPHETICUM SENSUM PARTIM…

Ugolino Martelli

296.

EXPOSITIO PRIMI PSALMI GRADVALIVM,

Iuxta propheticum sensum partim completum partim complendum.

AD ILLVSTRISSIMVM, ET Reuerendiss. S. R. E. Cardinalem, & Legatum Apostolicum,

IO. FRANCISCVM Morosinum.



FLORENTIAE, *Apud Bartholomaeum Sermartellium.* MDLXXXVIII.

IO·FRANCISCO MOROSINO S·R·E· CARDINALI, ET Legato Apostolico. S. D.



Hugolinus Martellus Episcopus Glandat.



OVAM Cardinalium renunciationem exceptam à Populo Christiano gaudenti animo, ac libenti nouimus aliquando, quin etiam sæpius: recta enim, & honesta quæ sunt, ea facere ipsa per se lætitiam, & gaudium solent, homines autem virtute cognita, & spectata fide amplissimos in amplissimum collegium cooptatos cum sæpe aliàs, Tum nuper conspeximus, & vehementer lætati fuimus: Sed nulla vnquam (ni fallor) Io. Francisce Cardinalis Amplissime, atque ornatissime lætitia, atque alacritatis melior Vniuersam Christianam Rempub. inuasit causa, quàm nouissima hæc nominis tui, atq. ampli-

 tudinis

tudinis in sacratißimum ordinem lectio, assertioq́: statim enim atque certus nuncius de sanctißimi, & maximi Pontificis iudicio, ac propensiore ad amplificandam dignitatem tuam voluntate fuit ad nos delatus, omnibus lætitia elatos, incredibilibusq; gaudiis exultantes vbique vidisses omnes bonos, & Ecclesiæ sanctæ Catholicæ cupidos: Mitto generis claritatem, mitto virtutum plurimarum ornamenta, quæ in te maxima & præclarißima conspiciuntur, mitto labores, operas, contentiones susceptas, mitto pericula cōstantißime per te subita, quæ omnia dum præmiis, ac splendore decorata cernimus, non summopere gaudere cuncti boni, atq; inter sese alacres, & læti publice gratulari non possunt. Hæc tibi (non dubito) cum aliis aliquando fuere communia, præcipuum tuum, ac prope singulare illud fuit, quòd te Cardinale Renunciato, de fide Catholica vera, ac sincera statim per Vniuersam Galliam restituenda, atque asserenda populus Christianus non modo bene sperare, sed quasi iam vicisset, hæreticosq; iam tum vniuersos profligasset extirpassetq́, triumphare capit. Tanta enim est in animis hominū concepta de probitate, atque efficacitate Sixti V. Totius Ecclesiæ summi Pastoris, ac rectoris opinio, adeoq; norunt omnes efficere illum extemplo quasi posse quæcunque vult, & velle semper quæ Regnum Christi Dei, ac

Domini

Domini nostri conferunt, atque amplificent, vt quamprimum te absentem te nec opinato creauerit in Cardinalem, per te quoque idem, tua q; opera, fide, ac diligentia compertum habuerit Gallorum procerum dissidia cum Rege Christianissimo: quæ Reip Christianæ cladem calamitosam minabantur, vel composita iam tum fuisse, vel iam iam componenda fore faustè, feliciter, ac prospere. Hinc bono esse animo omnes, & bene sperare cœperunt, Vt qui latrocinijs, hostilibus excursionibus propè similibus infestam vbique locorum Italiam reddidisset dudū liberam, & tranquillam, idem quoque Galliam vlteriorē pestilentissima hæreticarum opinionum prauitate partim infectam, partim ab hæreticis vel hæreticorum fautoribus, adiutoribus q; Reipublicæ gerendæ prudentiam, & rationem prætexentibus occupatam, religiosissimo Regi, & vera pietatis, ac sanctitatis amantissimo purgatam, & pacatam paulo post restituturus. Non ne amplitudinis tuæ improuisa ista, & inopinata renunciatio sapientissimis, atq; efficientissimis summi Pastoris nostri iudicium arguit? iudicium istud diuinæ illius mentis, non ne animos omnium Catholicorū ad spem repurgandæ, & vindicandi propediem Gallici Regni mirabiliter erigit? Spes eiusmodi quomodo non lætitiā det, & voluptatē cuius bono, & bonitatis studioso incredibilē

Iure

Iure igitur omnes omniũ ordinum homines relligionem Catholicam professi, quamuis neque de te, neq; de tuarum virtutum inclytis laudibus quicquam audissent, in tua recenti ista ad sacram purpuram electione exhilaratos, & mirandum in modum gauisos fuisse vidimus. Quid nunc me, quid alios, qui comitatem, benignitatem, propensum tuum in iuuandis amicis studium experti tibi semper amplissima quaq;, cumulatissimaq; concupieramus, in publica lætitia fecisse putas? Equidem (vt de me tantum dicam) incredibili voluptate lætitiæ perfusus, repente dare aliquam tibi tanti gaudij nostri significationem scriptis literis cogitabam, sed inanes illas, & nudã modo gratulationem continentes ad te mittere suppudebat. Itaque dignitatis tuæ ad amplissimum gradum euectæ causam rursus, atq; intensius animo lætanti, atque optima quaq; speranti mecum reputans (Causam autem proculdubio fuit egregie nauata opera tua in consociandis principũ dissidentibus voluntatibus atq; illis ad orthodoxæ fidei Iuratorum hostiũ, ac regni Christianissimi raptorum & euersorũ ferro, & flãmis extinctionẽ oppressionemq; conuertendis) quid ad te scriberem quod sine aliquo succo, & reipublicæ emolumento non esset, anxius animi cogitabam. Forte fortuna, hoc est diuino iudicio, ac voluntate (vt homines pij persuaserunt) oc-

currit

currit locus relegenti mihi de more preces graduales vocatas Sagittę potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis. *in quo cum plane, neque quid sagittis esset rei cum carbonibus, neq; qui carbones isti desolatorij forent intelligerem; Habreos fontes primum adire consilium fuit, deinde gracos etiam riuulos rimari non piguit, Hic & vocum ambiguitatem, & interpretationum varietatem maximā, ac ferè imperscrutabilem cernens, quid explicarem plane non habebam, sed cū diuinis in scripturis, diuinitusq; nobis traditis (diuina enim perinde apud me sunt, quæ vel Græca Ecclesia, vel Latina translata recepit, atque ea, quæ olim Hebrea nobis primogenia tradidit) persuasissimum habui non potuisse temere varietatem illam & ambiguitatem in sacro contextu euenire, itaque diutius in ea cogitatione, ac meditatione defixus, susque deque versans plurima & reuoluens, me torsi. Tandem (quæ cælestis luminis, ac numinis benignitas est, humiles mentes propriaq; imbecillitatis sibi probe conscias, fulgore veritatis misericorditer illustrare) supplici mihi* καὶ ἡσύχῳ *trementiq; sermones Dei, radius affulsit (Vt iuuat credere) de cælo, quo Dauidicus, & propheticus sensus nō plane perceptus ante hac (quippe non dum significata res tempus aduenerat) Hodie nunc primum ad Ecclesiæ sanctæ gloriam, & Fidei*

Ca-

Catholicæ corroborationem ex homonymia partim vocis hebreæ partim ex inter se longe diuersis, & inuicem commissis interpretationibus tum Græca, tũ Latina, Claritatem suam mihi visus est fuisse adeptus cumulatissime. Hunc ipsum explicatum, intelligentiaq; hominum datum, quando grassantis in Galliis hæresis turpissimæ extirpationem, & afflictæ bellis intestinis reipublicæ tranquillitatem iuuare plurimum posse iudicabam, pro mea in te obseruantia, & congratulationis loco ad te continuo mittere non sum veritus, optima concepta spe, si noua hæc primi psalmi gradualium interpretatio per tegraditatur (Præsul Amplissime, atque Illustrissime) & gradatim ascendat, quo maxime illam ascendere, penetrareq; par esset, & regnum ipsum Galliæ nos à seditiosis machinationibus pacatum, & ab hæretica omni labe purgatum, & à politicorum malitiosis cõsiliis vindicatum propediem habituros. Faxit Deus Opt. Maximus, vt quæ meditatur is, qui vicem illius gerit in terris, & quæ per te iamdudum, eius auspiciis, optime, ac prudentissime tractatur, atque instituuntur, quæq; in hoc sacro cantico Spiritus sanctus ad hæc ipsa nostra met tempora, & loca dictauit olim, & docuit, ea omnia quamprimùm ex voto, ac sententia nobis succedant. Vale.

EXPO-

EXPOSITIO PRIMI PSALMI GRADVALIVM,

Iuxta propheticum ſenſum partim comple-
tum partim complendum.

AD ILLVSTRISSIMVM, ET Reuerendiſſ. S. R. E. Cardinalem, & Legatum Apoſtolicum,

IO. FRANCISCVM Moroſinum.

PSAL. 119.

„ Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me.

„ Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua doloſa.

„ Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam?

„ Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatorius,



VDI mea Gallia, audi relligionis Christianæ olim tu fida altrix, & protectrix; audi tu quoque rex Henrice Christianissime relligiosissime, in angustia magna estis, Heretici vos iam dudum vexãt maleq; habent, sed (quę vestra semper fuit, estq, adhuc pietas) ad Dominum in afflictione vestra confugitis, ad eum humiles, prostratiq preces deuotis funditis. Benignus Pater Deus exaudit vos, neque opprimi finit. Ergo Ecclesiæ Gallicanæ *εὐχαριστίας* plena hęc verba sunt.

» Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me.

Quæ fuerint illę præces, quidue potissimum Gallia Galliæq, Rex postulauerit, clamaueritq, subditur.

» Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.

Linguam dolosam hereticorum doctrinam esse notauit ad hunc locum D. Hieronymus. *Labia iniqua* sine controuersia sunt maledici, mordaces, virulenti, infames libelli, qui disperguntur de Cloacis lacus Lemanni pestilentissimis. Dignatur ergo affectu pietatis Dominus, Vt idem sanctissimus auctor dicit, proclamantem animam ad se fideliter interrogare: quid remedij mea Gallia tibi, tuisq; malis afferri postulas? Itaque dicit Dominus.

» Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?

Hoc

Hoc est aduersus linguam fraudulentam hęreticorum, venenatosq; aculeos, quo te alexipharmaco muniri in primis expedit? Respondet Gallia, quasi diuino afflata spiritu, quid sibi maxime optandum, atque à Deo petendum sit, & inquit.

„ Sagittę potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis.

Hæc, ait, suppeditentur mihi, & cessabunt statim qui me enecant languores omnes: contra malitiam, versutiam, fraudes, violentiamq; hæreticorum, & schismaticorum, nullo mihi remedio pręsentiore succurri potest, quàm *sagittis potentis cum carbonibus desolatoriis*, ò me beatam, ò me ab omni labe, & hæretica fraude purgatam, ò me victricem, & expultricem lenonum turpissimorũ spõsę castissimę tuę insidias incęstuosas molientium, si prestò mihi sint *sagitta potentis acuta*, & hę sagittę cum *carbonibus desolatoriis* iungantur, & eiusmodi carbonum vi coniiciantur, impellanturq;. Sed quę sunt istę sagittę potentis? Quiuè carbones desolatorij? Quæro item ego, quis sit in regno potens? non nè Rex? & quæ nam sagittæ Regis? non ne tormenta bellica maiora? non ne immanis potentiæ sunt illę machinæ, quę ficto congruenter nomine ex bombo, & ardore bombardas dicunt? Bene est, sed qui sunt carbones desolatorij? & cur sagittæ iungendæ sunt carbonibus istis? O Dei nostri prouidentiam miram, ò in sacris literis huius prouidentiæ radium impressum munificentissime. Vidit Spiritus sancti diuina lux infinitis sęculis ante, vidit quæ nostro euentura, atq; vsui futura forent: Illæ potẽtis sagittæ, quas intelligimus, nullo impelluntur neruo tenso, nulla chorda, sed puluere tantũ incenso (cuius non nulla pars est carbo, quis hæc nescit?.

B 2 quisuè

quisue reliquias horrisoni, tremendiq; huius Thymiamatis partes, partiumq; rationem ignorat? non de nihilo carbonum potius facta mentio est quam halinitri, aut sulphuris ad significandum puluerem istum pyrium, quandoquidem carbonis si non proportio, at certe portio in medio fere reliquarum est: At medium pro vtroque extremo censetur. Quæ sint ergo sagittæ potentis, & quam sagittæ cum carbonibus cognationem habeant vidimus. Sed quærat aliquis cur dicuntur hi carbones *desolatorij*? primi sane facte meritò nomē huiuscemodi sibi quæsiuisse videri possunt, vel quia diruūt à solo, subuertuntue ad solum quæcunque tangunt, vel quia desolant, sola desertaq; reddunt omnia quę obstant sibi, Bombardarum enim vim in diruendis, solo æquandis, complanandisq; mœnibus turribus, munitionibus, molibusq; quibuscunque nullus nescit. Veruntamen aliud rursus est in quo diuinam sapientiam, diuinamq; sacri eloquij virtutem admirari, atq; reuerenter exosculari cogamur, quæ cum post millenarios aliquot annorum ea præcise intelligi vellet, quę tunc temporis, quando scribebantur, nec dum extabant, venire nulli in mentem quiuissent, iis verbis vsa est, quę rem iam factam, ac nobis hac tempestate cognitam apertissime declararent, ac proinde nomen adsciuit, quo non modo res ipsa, quę designabatur optime, atque efficacissime declararetur, sed vsque ad miraculum tota diuini vaticinij vis, & ratio mystico quodam secreto enuclearetur. Ad retundendam hęreticorum dolosam linguam, eorumq; perniciosam doctrinam euertendam nil salutarius dixerat, quàm vi & armis contumaces rebelles violentosq; opprimere: hęc vis in bombardis potissimum residet: hasce machinas ereas murales huc illuc circumferre, quoque opus sit trahere, pręter quam regię potestati cōcessum est nemini: ergo meritò *potentis sagittę* vocantur; nec minus apte dicuntur *acutæ*, cum nihil altius, interiusq; penetret

(quod

(quod acuminis proprium est) globis bombardicis, vbi concepti ignis vi nihilo minore feruntur impetu fragore & tremore, ac si fulmen de cœlo caderet. Hæ sagittæ cum carbonibus, & à carbonibus irritatæ torquentur, nempe vi, atque impulsu pulueris illius mirandi, qui licet ex tribus diuersis rebus confletur, ab illa merito significandus erat, quę mediam quasi portionem inter duas extremas tenet, media pars ista carbo fuit, qui quantum pondere, atque impulsione cedit halinitro, tantundem mole, ac contentione videtur antestare sulphuri, qui celeritatem incensionis tantummodo pręstat, ac præterea nihil: Carbones vero voce notantur apud Hebreos eiusmodi, quæ quamuis apud nonnullos genistam significet, nam רתם à vinciendo ductum dicunt, genistę namq; quę de genere viminum sint, & vnde lina etiam fiant, teste Plin. vincturę & ligaturæ prestant vsum, sancti tamen eruditissimi sacrarum litterarum interpretes, & magistri Iuniperum libentius semper verterunt, & exposuerunt: Vnde D. Hieronymus tam in commentariis voce græca illud רתמים [illegible]. Iuniperinis interpretatur, quàm in sua psalmorum ad Hebraicam veritatem versione diserte transfert *cum carbonibus Iuniperorum*. Nam lxx. Reg. 3. Cum diuina scriptura de Helia summo Propheta ageret, diligenterq; narraret, quomodo in loco deserto moerens, erumnosusq; sederet subter quamdam arborem, & nomen arboris expresse vocetur ibidem רתם, idemq; plantæ nomen paulo post repetatur de eodem propheta, vt obdormierit in vmbra illius arboris, priore quidem loco Hebream vocem reliquerunt in suis (vt vocant) radicalibus litteris, in posteriore vero pro illius plantæ speciali vocabulo genericum substituerunt. φυτὸν vocantes καὶ ὕπνωσεν ὑπὸ φυτὸν ἕν. Veruntamen vtroque in loco ex antiquissima sacrosanctæ Ecclesiæ traditione *Iuniperum* legimus. Itaque dubium esse non potest, quin illi carbo-

nes in psalmis Latinis vocati *desolatorij* non sunt carbones Iuniperum, cum & apud Iob eadem vox hebrea in nostra vulgata, & probata lectione ad hunc modum translata fuerit, *& radix Iuniperorum erit cibus eorum*, quæ sanè interpretatio quam belle, ac scite, ac vere, imo vero quam mirifice, ac diuine quadret huic nostro prophetico cantico dici vix potest. Primum ad puluerem illum terribilem terrificum tremendum. ἀκαταμάχητον significandum ex triplici materia de qua consit, nulla aptius, prõpriusq; adduci potis erat carbonibus, qui mole medium (vti dicebamus) fere obtinentes, mixturam integram notant aptissime, Cum medium natura sua iungat extrema inter se, sibiq, inuicem illa connectat ita ac temperet, vt è tribus quarta quædam res noua resultet. Deinde quamuis ex corylis vulgo vel salicibus carbones ad hunc igniarium puluerem præcipue parentur, ex nulla tamen commodiore præstantioreq, materia rerum istarum experientissimi homines contendunt fomitem horrisonum hunc effici, quam ex Iunipero, affirmant enim ex carbone iuniperino confectum, & citius ignem concipere. & vehementius, impetuosiusq, globos emittere, & longius multo propellere, & quod maxime ad rem nostram facit, diutius integram incorruptam illibatamq; suam fulmineam vim tueri, & conseruare, propterea ad insidiosam vim noxamq; nocentem, quàm nemo in tantilla re existimasset vnquam, ad malum occultum, damnumq; latens in puluisculo representandum, nil cõgruentius significantiusq; omnino potuit inueniri carbonibus Iuniperorum, qui tam & si videantur extincti, atque innocui, ignem tamen quasi ἄρκευθον ... , Iuniperum enim propterea ἄρκευθον dictum esse a Græcis alibi declarabamus, nominisq, veriloquium verum esse docebamus, quia carbones candentes siue prunæ de lignis iuniperinis, vel de radicibus saltim iuniperi suamet cinere obrutę ad annum vsq; calorem,

[illegible] ignemq; vim incendendi, ac nocendi retinere perhibentur ex antiquissima magistrorũ hębreorum traditione. Quod & si non admodum credibile mihi fiat, verissimum tamen illud esse contendam, apud Chymistas, qui perennitatem ignis in suis turritis fornacibus experirent maxime, cum quernos carbones validos, salignos imbecilles, abiegnos penè nullos sint experti, vt vir doctissimus Iul. Cęsar Scaliger in Theophrasto subindicauit, Iuniperinos quasi immortales repperer ũt, & ad perpetuã diu in calorem in primis laudauerunt. Certe Gabriel Busca primarius architectus militaris Serenissimi Ducis Sabaudię amicus meus, puluerem optimum bombardicum omnium, quos ipse vnquam, aut vllibi locorum nouerit, esse mihi affirmat, quem parari curauit apud Forum Segusianorum ipse ex Iuniperinis carbonibus mixtum, & pinsitum: In eo autem tractu ad puluerem pyrium optimum conflandum, carbones iuniperinos passim adhiberi, narrabat mihi vir optimus, & prudentissimus Lucas Alamannus Episcopus Matisconensis; idem planè vel fieri vel certe faciundum esse, iuxta sanctissimi Regis oraculum, in Vniuersa Gallia Iuniperorum feracissima, perfacilis esset coniectura: Vtinam ingenti ista & vberrima desolatoriorum carbonum copia, quam ferunt asseruari iamdudum paratam in Gallia, & Sabaudia (prout regius & propheticus hymnus docet) propediem videamus concuti, subuerti, desolari etiam scelestissimas impiorum Aloidarum molitiones.

» *Qui manibus magnum rescindere cœlum*

» *Aggressi, superisq; Iouem detrudere regnis.*

Ad hunc modum pyrius puluis licet extinctus carbo iam contusus videatur, ignem tamen, & perniciem, & execrationem cum fulgore, & fragore terrarumq; tremore,

ac

ac mortalium pallore stupore horrore concipis. Deniq; Iuniperini carbones ad linguam dolosam comprimēdam arefaciendamq; iuxta delicti, atque iniquitatis propriæ merita idonei visi sunt in primis, nam torres Iuniperi cum putantur extrinsecus extincti, titionesque effecti ignem tunc intus tegunt (vti dicebamus) maximeq; ad nocendum instructi sunt: sic lingua hæreticorum fraudolenta dum omne pietatis veræ specimen exterius præsefert, intus præter atheismum, meram impietatem, sacrilegium, odiumq, Dei æternum, & sacrosancti numinis contemptum habet nihil. Ergo carbones, qui cum sagittis potentum subdolam hæreticorum nequitiam valeant absumere, ac desolare meritò Iuniperis tribuūtur, tum quia pulueris igniuomi natura Iuniperinos carbones in primis exposcit, tum quia Iuniperinæ prunæ fomitis huius pyrij celatam noxam apprime imitantur, tum denique quia iuniperi Iuniperorumq; lignorum incensorum vis apposite flagitium illud coercet, ac vindicat, quod à sanctissimo Propheta exagitabatur, Carbones enim de Iunipero ad instar linguæ dolosæ latentis noxę semper retinent in se quam plurimum, Vt merito malo nodo malus sit querendus cuneus. Hi carbones vocati fuerunt à lxx. hoc ipso in loco psalmi ἐρημικοί, quæ vox etsi verbotenus in loco deserto solitario inculto factos significare videatur, Iuxta tamen sensum, quem dicebamus, quemq, diuini interpretes diuinitus viderunt, & nostra translatio eodem diuino spiritu edocta habet *desolatory*, vim atque effectionem carbonum illorum insinuat desolandi, perdendi, atq; in solitudinem, desertumq, redigendi arces, castella, oppida, Vrbesque, quæ labiis mendacibus, linguaq, dolosa hæreticorum, & sacrilega occupare & vastatę, & profanatę fuissent. In vt varietas sacrarum interpretationum à primogenia diuina dictione nos ad intelligentiam occultissimi sensus prophetici deducit; carbonibus egemus ad

im-

impellendas sagittas regias, quas dicebamus: sed quibus nam? num quibuscunque de Camino, vel Carbonaria? non hercle, sed vt latina translatio docet, *desolatoriis*, quippe quibus desolandi, ac diruendi ad solum vsque vis insit: Verum ista diruptio, desolatioq́, hęre ticorum lupanariorum ita ne facienda, Vt possint aliquando rursus ferarum luparum lustra redintegrari? minime verò, sed vt græca præfefert traductio, quæ vocat illos carbones *desertos*, & *solitarios*, ita sanè disiicienda sunt Geneuana, Santonica Nemausiaca, aliaq́, aliorum hęreticorum mœnia, Vt oppida illorum Tuguriaq́, perpetuo inculta, deserta, sepibus, & virgultis deuia, interclusaq́, iaceant. At isti carbones ex qua nam materia potissimum, commodiusq́; parãtur? Diuine explicatum hoc habuimus in lectione hębraica primitiua, quæ vt D. Hieronymus author est, *Iuniperinos carbones* intellexit. Necnon hębree vocis etiam ambiguitas multum conducit ad huius rei puriorem intelligentiam. Nam cum eadem vox, & Genistam & Iuniperum (sicut admonebamus antea) significet, dum Iuniperinos carbones ad puluerem pyrium præcipue laudat; Causam quoque istius præpotentis virtutis designat, nimirum quod sua natura vinciat, ac liget aliquanto fortius valdiusq́; simul dissidentes partes, quę in halinitro comperiuntur, frigidas cum calidiusculis, & istas vnà cũ calidissimis, ac tantum non ignitis sulphuris, vnde flatus ille nimbosissimus, & impetuosissimus, qui in factitio nitro residet, erumpit vehementius, dicebamus enim à vinctura, seu ligatura deductum esse ambiguum nomen hębreum, quod Genistam & Iuniperum significat. Ac sane Iuniperi virtus interna, succusq́, cum succo, & facultate intima genistarum permultum habere affinitatis nouimus: Oleum namque quod ex minutim cęsis lignis huius, atque illius plantæ Vulcani ministerio extorquetur, eodem vocabulo apud nostros Gallos vocatur *oleum de Cade*, nam oxycedrum,

drum, quod proprie *Cade* Vulgo dicitur, esse Iunipero quam simillimam in nostra de Vmbra Maroniana tractatione diximus vbertim, alterutrum oleum pastores, venatoresq; in curandis à scabie tum pecoribus, tum canibus adhibent sine discrimine. Vnde non male putaret aliquis Carbones huius fruticis ad eamdem igniuomi pulueris vim excitandam æque, & aliquanto etiam valdius valere, quam colurnos, vel salignos. Sed pergamus & cœlestis oraculi quod restat absoluamus.

„ Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est.

„ Habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.

„ Cum his qui oderunt pacem eram pacificus, cum loquebar illis impugnabant me gratis.

Quid tibi agendum sit mea Gallia percepisti, accipe nunc, precor, à quibus tibi sit abstinendum: peccasti dudum, & grauiter peccasti mea dilecta, emenda si sapis peccatum tuum, si quidem propitium tibi Deum habere studes. Duplex peccatum in te agnouit Diuinus Vates, & Rex, qui sub persona tua gemens, & resipiscens fatetur sponte delictum, & inquit, peccaui, & prius peccatum meum est, fateor, quod peregrinatus sum nimium inter infideles: Turcica fœdera tamdiu petita, & repetita iram meritò in me omnipotentis Dei contraxerunt. Et verò vbi nos legimus *incolatus meus prolongatus est* contextus hebraicus aliquãto aptius sonat *peregrinatus sum in Capadocia* quam peregrinationem mirum quantum probat Chaldaica paraphrasis, quæ sic habet. *Hei mihi quoniam peregrinatus*

natus sum cum Asiaticis. Et quod sequitur in nostra versione *habitaui cum habitantibus Cedar* eadem eximiæ antiquitatis & authoritatis paraphrasis legit. *Habitaui cum tabernaculis Arabum*: quod quantum nostris errationibus quadret, qui nunc ab Asia, & Capadocia; nunc ab Aphrica, & Arabia Classes exoticas accersiuimus, omnes vident & queruntur boni. *Multum incola fuit anima mea*. Heu me miseram, & piget, & tædet tam diuturnæ amicitiæ cum barbaris, fideiq; nostræ sanctæ perpetuis hostibus contractæ, Valeant Turcę, Valeant Mauri, suam Capadociam, Arabiamq; sibi habeant. Alterum peccatum meum, inquit, est q cum hæreticis, schismaticisq;, suo malo quodam genio pacis osoribus, pacem ego semper optaui, pacificeq; quasi cum filiis, & indulgenter nimis me gessi. Ergo cum iis *qui oderant pacem eram pacificus, & dum loquebar illis impugnabant me gratis* hoc est simul ac edictis pacificatoriis meis admonitos illos volebam legibusq; blandis, & indulgentiæ paternæ plenis ad bonam illos frugem reuocare adnitebar, arma illi continuo, ferrum, & ignem corripiebant, ad agrorum depopulationem, pagorum direptionem, oppidorumq; inuasionem hostiliter erumpebant. In hac præsenti angustia, & oppressione tua, o, prouincia Christianissima quid facto tibi opus sit, quidue non facto vides, quantam quoq; tui curam gerat summus opifex Deus, qui te multis ante seculis respexit amanter, & nunc paterne admonet, intelligis. Reliquum est vt tantæ tu non ingrata beneuolentiæ, & admonitioni tam salutiferę parens, quod voce prophetica tibi mandatum est facias, quod verò prohibitum auerseris.

FINIS.



Cum licentia Superiorum.



FLORENTIAE,
Apud Bartholomæum Sermartellium.
MDLXXXVIII.